

*Post libros de divinis officiis in editione Michaelis Pleunich, Venetiis anno 1751 excusa, quam sequimur, legitur Apologia domini Gerberonii adversus oppugnatores doctrinæ Ruperti Opportuniorem in nostra editione locum obtinet inter Prolegomena tomis primi Operum Ruperti. (EDITOR PATROLOGIE.)*

# R. D. D. RUPERTI

ABBATIS TUTIENSIS

## DE INCENDIO OPPIDI TUITII

SUA ATATE VISO

### LIBER AUREUS.

#### 149-225 CAPUT PRIMUM.

Ecce quomodo criminatus Satan nostram quoque consideravit, ut peccatorum negligentiam, ne dicam, ut sancti Job innocentiam, dum suo more circuit terram inquietus, et perambulat eam (*Job. i*). Scitis hæc, fratres dilectissimi, qui una mecum in hoc monasterio Tutiensi Domino deservientes, iam simul et misericordiam ejus in medio flamarum mirabiliter estis experti quemadmodum propheta dixit ei : *Cum iratus fueris, misericordia recordaberis* (*Habac. iii*). Scilicet, inquam, vel scire debetis, quia nisi clemens ipse male petenti potestatem denegasset, nisi parcere jussisset, hodie quoque nostri amici videntes plagam nostram timerent, et, secundum similitudinem amicorum beati Job, nonnulli de nobis male judicarent (*Job. xiii*). Non solum autem inhibitus est, ne totam, ut cœperat, amburendo pellem nostram auferret, verum etiam sicut de illo dicit Dominus ad eumdem Job : *Nunquid seriet tecum pactum, et habebis eum servum sempiternum?* (*Job xl*.) Et sicut Apostolus ait : *Scimus quoniam diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum* (*Rom. viii*), ita accedit et nunc. Rem ipsam, ut gesta est, enarrare libet, hac intentione ut sciant nostri quoque posteri, et nulla temporum vetustas abolere possit de cordibus nostris memoriam glorificationis, qua glorificatum est in tanto incendio sacramentum corporis Domini, sicut viderunt oculi nostri, et liberationis, qua liberatum est a pressura flammæ templum hoc, in quo invocatus nomen Domini, taliter ut a multis visa sit præsentia divinae protectionis, videlicet quasi species hominis pulcherrimi desuper incumbentis, et circumfluentium flamarum impetum manu objecta repellentis. Cum hæc diligentius scriptis enarravero, hæc mihi merces a Domino sit, ut non me arguat ingratitudinis, quemadmodum redarguit illos, de quibus ait : *Nonne decem mundati sunt, et novem ubi sunt?* (*Luc. xvii*.) Similiter namque et nos redargui conveniret, nisi et cor, et os nostrum præsentaremus in gratiarum actione, verbi gratia, ut

A diceret ipse : Nonne istis manifesta Dei virtute de tanto incendio reservatum et sanctum et vivisimum sacramentum, quo sine dubio emundatur lepra peccatorum, et gratiarum actiones ubi sunt? Ita igitur taliter acta est.

#### CAPUT II.

Anno praesenti, qui est ab Incarnatione Domini millesimus centesimus vicesimus octavus, octavo Kalendas Septembbris, prima vigilia noctis, subito exortus ignis medium vici plateam corripuit, qui, vento agente concitatus, in brevi ultra modum invaliduit. Erat autem siccitas nimia nimiumque diutina, et undique circa domos horrea collectis nuperrime et comportatis frugibus copiose reserta. Repente ergo conflatum sine mora crevit incendium,

B quo non solum Rhenus liquidus resplenduit, et vicina Colonia reluxit, verum etiam regio hæc omnis, et tota fere provincia lucem undique tristem et horribilem suscepit. Denique per stadia ferme ducenta, et eo amplius ignis aruit, Rhenique adhuc ignorantibus cœlum ardere visum est. Quid animi vobis pariter ac mihi tunc erat, fratres charissimi, cum per turres et interturia videritis appropinquantes atque imminentes insanos exercitus flamarum, assilentes atque irruentes phalanges grandium scintillarum? Turres enim circumstantes odiosas nobis nostra velocitate victrix flamma comprehendit, et nostras quoque domos sive officinas usque ad ipsum claustrum cœnobialis aditum uno impetu pervolavit, totumque istud castellum (mirum dictu!) quasi unum effecit caminum, ita ut de proxima civitate prospectantibus millibus hominum videretur id, quod verum erat, totum hoc monasterium flammis esse circumdataum atque cooperatum. Causam post hæc dicam cur turres jam dictas odiosas nobis fuisse vel esse **226** dixerim. Quid ergo tunc erat animi? Nonne horruit visus? Nonne expavit auditus? Nonne corda tremuerunt et omnes corporis sensus stupendo aufugerunt? Me ipsum perpendo, memetipsum recolens qualis in illa tentatione inventus fuerim, magis re-

prehendo. Denique illud mihi pene accidit quod superdictus Job dicit amicis suis : *Statim ut se commoverit Deus, turbavit vos, et terror illius irruerat super vos (Job iii).* Quid enim? Nunquid justorum est et eorum qui perfectae fidei sunt, turbari statim ut ille se commoverit, ei ruita terroris ejus opprimi? Nonne potius hoc estum est, statim ut senserint eum esse commotum, consurgere et tenere eum?

Tales quippe dolens propheta Isaías desuisse vel deesse in gente peccatrice : *Non est, ait, qui invocet nomen tuum; non est cui consurgat, et teneat te (Isa. LXIV).* Hoc, inquam, perfectorum est, et hujusmodi perfectio jure a nobis maxime exigitur, qui praelati dicimus ut luctemur contra iram Dei, secundum exemplum primi praelati, scilicet Moysis, qui luctabatur et tenebat Deum cum diceret ei Deus : *Dimitte me, ut irascatur furor meus (Exod. xxxii).* Et quomodo luctabatur? Nimis flendo et rogando eum, vel sicut Psalmista dicit, stando in confractione (*Psal. cv*), id est in nimia mentis humilitate in conspectu ejus. Sic ante illum et sanctus Jacob cum eodem luctatus est (*Gen. xxxii*), videlicet flendo et rogando eum, quod manifeste et breviter docet propheta Osee : « In fortitudine sua, inquit, directus est cum angelo, et invaluit ad angelum, flevit et rogavit eum (*Ose. XII*). » At nos postremi, ego et similes mei, quandiu tranquillus est Dominus, et non se commovet, coram adsumus, et interdum blandiri quoque et quodammodo arridere risu cordis audemus per fiduciam fidei, qua in eum credimus; C ubi autem paululum se commovet, et commotione in ipsam levem saltem significat tempestate, aut unius ictus fulminis cum repente tonitruo transiliente statim turbainur et pene diffidimus, proculque absistimus, tanquam fugiti vi clientes, in pace constantes, in bello fugaces, in prosperis magnanimi, in adversis pusillanimes et timidi, vixque speramus quod invocantibus nobis quis respondeat (*Job v*), vix ad aliquem sanctorum amicorum ejus convertimur, ut teneat eum, quia pro conscientia turbati sumus. Ego vero maxime turbatus fui, quippe qui pene nudus ausugi, et sedi procul ab incendio, procul ab ista periclitante domo, memor sancti David qui cum tantorum vir esset meritorum, nihilominus repente turbatus nuntio, festinavit egredi, ne veniens, D ait, *Absalon occupet nos et egressus pedibus suis stetit procul a domo, et si invenero, ait, gratiam in oculis Domini, reducet me, et ostendet mihi arcam et tabernaculum suum (II Reg. xv).*

### CAPUT III.

Interea dum adhuc primas concessæ sibi prædictæ partes festinus ignis voraret, ulterius linguam prætendens cunctos luce maligna terroreret, quidam de fratribus raptum e sacrario ferens corporale Dominicum longo hastili superne illigatum flammis obvius stetit, sperans quod tam sacrae supellectili cessurus foret ignis, omnisque potestas inimici. Cumque tali modo non cederet ignis, ille persistens fide non fixa et temeritate non improbanda, ipsum hastile cum

A corporali mediis flammis fortiter intrusit, aliquandiu agitans quasi saevientem confoderet ignem, donec usque ad ipsum prorupit flamma rebellis, eumque pene afflavit. Tunc demum absistens, et hostile quod tenebat partim ambustum, corporale autem illæsum, mirum dictu! et incontaminatum ignibus abstrahens quantoq[ue] absolvit, et convolutum flammis quo potuit altius injecit, optans et sperans quod ex immisso eum Domino volente opprimeretur, et deficeret quasi strangulatus ignis. At ille videlicet magnus et a Deo permisus ignis, miro modo corporale integrum occulta et incognita vi de medio sui rejecit, et longius repulit in eam villæ partem, quæ sibi concessa non fuerat, et ubi, sicut manifestum est, nihil nocturus erat. Quem non delectet tantum B vidisse vel videre miraculum? Denique corporale jam dictum sic integrum et illæsum relatum est, ut tamen signum habeat non indecorum, videlicet lineam subrusam, cum sit ipsum, ut prius erat, totum candidum. Hoc nimis melius placet quam si nulla penitus incendi notitia inesset, quia clarus ex hoc memoriale est et inter omnia ejusmodi sacram supellectilem agnoscere debet.

### CAPUT IV.

Cum itaque solutis habenis totum, ut jam supradictum est, castellum intus et exterius possideret incendium, me procul sedente inter intactas ab igne domos, ita tamen ut spectare possem illud triste spectaculum, scilicet undantia cacumina flamarum, stetit in editiore tecto qui diceret ardere ipsam sancti Urbani Basilicam, videlicet sitam ante valvas monasterii parochianam ecclesiam. Actum putavi, et de liberatione ipsius monasterii pene desperavi, nisi quod in memetipso canebat spiritus meus : *In ira misericordiae memor eris (Habac. III).* Deinde post moram non modicam cœpit illud quoque intra memetipsum canere interior homo : *Benedico te, Pater Domini mei Iesu Christi, quia per Filium tuum ignis extinctus est a latere meo.* Et ita factum erat. Venerunt quippe continuo, qui dicerent decidisse incendium, salvumque et incolume reliquisse cum claustro monasterium, tantum autem collaterales domos sive officinas omnes cum areis in favillam et cineres esse redactas. Quis hoc sperare poterat? Quis nisi Deus hoc facere potuisse, cuius auxilium multitudo populi utriusque sexus, ex ultiore Rheni littore prospectans, suppliciter et devotissime inclamabat? Viderunt enim plerique illorum, et hoc publice fatentur quia viderunt virum speciosissimum super monasterii culmen lævo latere sive cubitu innixum, et sublevatum manu dextera impetu ignis abigentem, qui jam turrim campanarium introrsum corripuerat. Audito hoc bono nuntio revertebar post noctem tristem, die redditio, et ecce parochianus sacerdos Ecclesiæ supra memoratæ, nomine Stephanus, divulgabat, mihi maxime denarrare properans dulce et jucundum miraculum, signum valde bonum, magnumque et evidens vigilantis circa nos divinæ propitiationis judicium.

## CAPUT V.

**Pyxidem ligneam**, et in ea corpus Domini cum habuerat secus altare de more repositum, in fenestra sive absida introrsus in muro tegulis lignis compacta, cum ostiolo et sera. Erant autem cum jam dicta pyxide et alia vascula ad sacram ministerium pertinentia, videlicet alia pyxis hostias continens, non consecratas, ampulla quoque vinaria et ipsa stagnea, et vasculum thuris, et candelæ, et aliquid lini, quorum meminisse nos exigit **227** causa tanti miraculi. Denique in illa fortitudine vehementis incendii, cum non solum ipsa basilica, verum etiam totum castelli spatium quasi unus esset caminus multo major quam ille Babylonius ignis, cuius flamma diffusa est supra fornacem quadraginta novem cubitis (*Dan. III*), cum fragmenta quoque trabium ardentium decidentia, signa quoque metallica, miro modo ardendo sponte concrepantia, et concrepando ardentia, de altitudine ardentis campanariæ turris excidissent, non solum fracta, verum etiam pene liquefacta, et taliter prolapsa omni materia coangustatum intra muros basilicæ amplius sæviret incendium, arsit simul et ipsa absida cum omnibus supradictis, quæ intus erant reposita, nimirum leviter et cito pro magnitudine incendium sicut stipula vel quasi exiguum feni; sola autem pyxis illa cum corpore Dominico incolunis et intacta permanxit. Mox ergo ubi sacerdos jam dictus accessum habere potuit, dolens, ut fatebatur, quia cum turbaretur instante incendio, et aliqua exportaret vel exportari ficeret, oblitus fuerat tollere corpus Dominicum, amovit quantocius congeriem lignorum favillarumque ardantium, et introspiciens, reperit hoc insigne miraculum. Protinus excipiens et cunctis videntibus, qui aderant, illud fidei nostræ sacramentum demonstrans atque divulgans, venit ad me gaudens, et suam oblitus negligentiam propter abundantiam lætitiae, licet non sine tristitia nebula, damno quod acciderat. Nox enim quædam adhuc toto die illo erat in cordibus nostris, et quasi gravi somno pressi mentis nostræ oculi nondum valebant prospicere ortum solis, id est claritatem divinæ præsentiae fulgentem circa nos, sive in medio nostrum tribus miraculis, isto pergrandi, et cæteris duobus quæ supra narravi. Sequens erat dies Dominica, et ego circa horam fere tertiam perrexi, et multis sequentibus vel præsentibus locum intuitus sum, et opus virtutis consideravi admiratione dignum; cum quo et illud accedebat ad gaudium, quod altare considerabamus inviolatum, cum cohærentes altari lapides magni, qui coram strati jacebant, fracti et in frusta divisi essent magnis molibus fragmentorum, id est trabium ab incendio fractarum, et ardendo cadentium.

## CAPUT VI.

Laudare ergo Deum debuimus, et apertis magnitudinem virtutum ejus declamare vocibus. Sed numquid digne laudare sufficiamus? Sunt enim hæc tua, Christe, miracula, non dissimilis gloriæ illi, qua

A glorificatus es tu, eum tribus pueris tuis in medio Babylonie fornaci pronuptiante rege Nabuchodonosor: *Ecce ego video viros quatuor solutos, et ambulantes in medio ignis, et nihil in eis corruptionis est, et species quarti similis est Filio Dei* (*Dan. III*). Vere, inquam, gloriæ illi est gloria ista non longe dissimilis. Denique quod fuit illic tam magnus ille caminus ignis fortiter succensus imperio regis illius, qui typum gerebat diaboli, hoc fuit nocte illa totum castellum istud in unum ignem conflatum, et quasi unus caminus effectum, ut supra diximus, areis sive horreis nostris, et cæterorum quæ novis messibus plena erant, flamas ædificiorum in immensum arietibus, cum undique circumvallatum, et altitudine flammarum cooperatum non læderetur monasterium, B nonne pueri tui, Domine, scilicet fratres omnes, et multi qui intus consugerant pauperes in medio ignis ambulabant? Tu enim, Fili Dei, prompta gratia ex te eis ambulasti, et hujusce dignationis tuae tria testimonia dedisti signa hæc, quorum duo videbunt, qui videre voluerunt, vel ad videndum accesserunt, scilicet corpus tuum cum vasculo, in quo erat repositum, et corporale incommutatum, sicut sarabella puerorum illorum communata sive adusta non fuerunt. Tertium quod fuit species viri super monasterium incumbentis, non omnes, qui aderant vel prospiciebant, viderunt, sed tam multi credibiles et auditu digni se vidisse fatebantur, ut non credere illis aut saltem dubitare nefas putemus. C Alias autem, quid de visu hominum quærimus? Tanto incendio nihil resistere aut superesse potuisse, nisi actu præsens adfuissest tua potentia, Deus. Perinde te laudavimus et laudamus et adhuc laudationem tuam loquetur os nostrum, et sancto nomini tuo benedicemus. Populus quoque, ubi corpus Domini procedentes circumtulimus, (erat enim, ut supra dixi, dominicus dies, quo in eorum dominice resurrectionis solemni more processio agitur) claro conjubilavit concensu, sacerdote supra memorato reatum suum confidente cum fletu coram omnibus, eo quod cum cætera, quæ potuit, incendio præripseret, istud unicum redemptoris et salutis nostræ sacramentum tollere fuisse oblitus. Ego una vobiscum, fratres charissimi, supra dictum corporale D et pyxidem illam pro summis reliquiis transferre ad majus altare, et hoc monostichon superscribere dignum duxi:

*Hoc corpus Domini flamas in pyxide vicit.*

## CAPUT VII.

Quis tandem locus alicui relinquitur, dilectissimi, ut dicat vel suspicetur easu aut fortuito, et non judicio seu per providentiam Dei contigisse malum illud tanti incendii? Fuerunt enim et sunt homines plerique ineruditæ, putantes cuncta quæ sub sole fiunt casu agitari, et nequaquam regi mundum providentia Dei, maxime eo quod sæpe prospera injustis, et adversa plerumque eveniunt justis, et de hoc murmurant in cordibus suis. Contra eos, qui ejusmodi sunt, Hieremias propheta lamentando lo-

quitur : *Quis est iste, qui dixit ut fieret, Domino non jubente? Ex ore Altissimi non egredientur, nec mala nec bona.* Quid murmuravit homo vivens vir pro peccatis suis? (*Thren. iii.*) Infidelis namque animi est hoc dicere quod ex ore Altissimi non egrediantur mala nec bona, id est, nec adversa nec prospera, exempli gratia, ut incendio Babylonico concremaretur Iherusalem, quod tunc evenerat, quando lamentans hæc loquebatur Hieremias, et rursum post annos septuaginta solveretur ejusdem populi captivitas. Infidelis, inquam, et murmurosi est animi dicere vel suspicari quod nihil horum jubente Domino factum sit, sed casu cuncta evenerint, cum et alius propheta dixerit : *Si erit malum in civitate quod Dominus non fecerit?* (*Amos. iii.*) Ejusmodi infidelitas, dilectissimi, nobis cavenda est. Audiamus potius quid ibidem in Hieremias continuo sequitur : *Scrutemur vias nostras et quaeramus et revertamur ad Dominum. Levemus corda nostra cum manibus ad Deum in cœlos* (*Thren. iii.*). Si enim veraciter vias nostras serutati fuerimus, et scienter dixerimus quod saepè dicimus : *Peccavimus, injuste egimus, iniquitatem fecimus* (*Baruch. ii.*), inveniemus nos minora recepisse, quam mereamur, quia baculo quideam judicii percuti merebamur, sed misericordia superexaltante judicium paternæ virga disciplinæ parumper tacti sumus.

## 228 CAPUT VIII.

Causam nunc dicere libet, cur turres hujus castelli odiosas nobis mira velocitate victrix flamma comprehendit, hoc enim pollicitus sum, subjungendo (*Supr. Cap. ii.*) : *Causam post hæc dicam, cur turres jam dictas odiosas nobis fuisse, vel esse dixerim.* Attendite ergo, charissimi, quam justo dolore super eas doluerim, quam perfecto odio non lapides sive parietes, sed injustitiam, quæ in illis habitat, ego oderim. Debuerat enim totum castelli hujus spatiū esse legale sanctum, quia sic in lege Domini scriptum est : *Quidquid semel fuerit consecratum, sanctum sanctorum erit Domino, et possessio consecrata ad jus pertinet sacerdotum* (*Levit. xxvii.*). Quis autem nesciat castelli hujus possessionem Deo, et Domino nostro Jesu Christo sanctæque genitrici ejus perpetuae virginis Mariæ fuisse consecratam? Narrat enim liber Vitæ vel Actuum Patris nostri beati Heriberti, quia, cum cœnobium construere optaret in honorem Domini, et jam dictæ matris ejus beatæ Mariæ semper virginis secundum votum, cuius monitorem habuerat Othonem imperatorem, simulque scire cuperet quo in loco fieri hoc placitum esset eidem sanctæ Dei genitrici, apparens ipsa per visum dixit ei : *Surge, et Tuitiense castrum pertens, locum in eodem mundari præcipe, ibique monasterium Deo mihi et omnibus sanctis constitue, ut ubi quondam habitavit peccatum, et cultus dæmonum*

**A** num, ibi justitia regnet, et memoria sanctorum (29). Erat autem tunc in eodem castro curtis pertinens ad servitium episcopi. Porro de constructione castri diversa opinio est, aliis opinantibus fuisse opus Julii Cæsaris, aliis asserentibus quod tempore, quo imperator Constantius et filius ejus Constantinus expeditionem in Galliis habuerunt, constructum fuerit ab eodem Constantino, devictis Francis. Hanc opinionem firmiorem esse asserit titulus, non multos ante annos inventus, in tabula lapidea inter fragmenta murorum, et ipsa in partes divisa, ita tamen ut partes ipsæ ad invicem conjungi possent, quæ hujusmodi erat : *Constantinus, pius Romanorum imper. Augustus, devictis Francis, castrum Ditenium in terris eorum fieri jussit. Milites turrini cum interturrio fecerunt. Hæc duodeviginti vota fecerunt* (30). Et quidem nota est historia, quod Constantinus Francos et Alemannos magnifice devicerit, et reges eorum bestiis objecerit. Sed, quia Julii Cæsaris res gestæ in Galliis famosiores habentur, inde hæc opinio magis vulgata est, licet nullis fulta scriptorium monumentis, quod ille hujus quoque castri conditor extiterit. Mansit autem idem castellum pulchritudine et fortitudine præcipuum, usque ad imperatorem Othonem primum. Hujus germanus Bruno Coloniensis Ecclesiæ archiepiscopus, a beato Severino vicesimus quartus, simul cum tanta nobilitate, morum quoque probitate, et insigni pietate præclarus fregit illud, fratris sui jam dicti imperatoris iram, quæ futura erat, non veritus, quæ adeo vehemens fuisse fertur, ut eum ad redificandum compelleret nimis invitum, nisi idem imperator cito fuisse morte preventus. Sextus ab illo videlicet, Brunone beatæ memorie archiepiscopo, sanctus Heribertus, taliter, ut supra dictum est, Domino consecravit idem oppidum, immo ruinosi, ut ita dicam, fragmenta oppidi, construendo in medio ejus cœnobium Deo, in honorem Dominae nostræ sanctæ Mariæ perpetuae virginis, totumque ad hoc opus locum sic emundavit ut nullam sœcularium habitationem in ea relinqueret, dans illis quos inde exceedere jussit, foris habitacula muro extrinsecus contigua, sicut hodie noverunt, et testantur quam plurimi et maxime ipsorum posteri tenentes easdem domos beneficiales, ad hujus Ecclesiæ jus dominationemque respicientes.

## CAPUT IX.

Debuerat igitur, juxta sacræ legis edictum, supra memoratum, sanctum esse Domino totum castelli hujus spatium, id est nullam pati communium sive sœcularium rerum contaminationem, qualem vidiimus et audivimus in plerisque locis magnum saepius attulisse offendiculum, sive scandalum fratribus Deo sacratis, et propositam debentibus religionis monasticæ puritatem. Fere usque ad nostra tempora

domitisque Franciæ, in eorum terris castrum Ditenium sub præsentia principis sui fecerunt, deroto numini majestatique : duodeviginti hæc vota fecerunt.

(29) Vid. infra, in Vita S. Heriberti, cap. 13.

(30) Eadem dominus Surius ex antiquo quodam libro mihi communicavit hoc modo : *Virtute D. Constantini Maximi Pii felicissimi, invicti Augsti, suppressis*

perseverat, sicut scitis, huic monasterio vestigium A aliquod juris antiqui, ita ut claves hujus castelli nullo contradicente haberet prior sive præpositus monasterii et clausæ tota nocte non aperirentur portæ usque ad diem hora competenti. Nunc autem longa prædecessorum nostrorum negligentia, dum sacerdibus sese nimis accommodant, tantam ahuit licentiam, ut illud prophetieum dicere nobis conveniat, præsertim quibus optabilis est et grata religio, quique bono zelo zelamus pro Domino : *Hæreditas nostra versa est ad alienos, domus nostræ ad extraneos* (*Thren. v.*). Castellum quippe occupaverunt, et non tantum turres et interturria sibi ad inhabitandum reparaverunt homines, honesti quidem secundum sæculum, verum etiam subterturria, quæ dicunt cellaria, quasi specus cæcos et angulos pene occultos talibus personis locaverunt, qualium vita dubia est, conditio ignota, fama obscura, ita ut gravibus in circuitu nostro personis tale sit de habitaculis istis judicium, et sic de illis judicent tanquam de quibusdam officinis immunditiarum, et idcirco dicerent : *Non dubitent juste hoc accidisse incendium, non solum intus his qui fecerunt, verum etiam foris illis qui facientibus consenserunt; meque reclamantem aut litigio deppresserunt, aut silentio destituerunt.* Plane etsi aliæ fuerunt causæ incendi, dicere non dubitem quin causa ista maxima fuerit, et judicio Domini actum sit. Videram quippe in somnis, antequam fieret, et nonnullis vestrum aliquoties cum admiratione retuleram pavorem hujusmodi. Aderat atque instabat exspectantibus nobis quasi dies judicii, cum videremur consistere quasi in orientali parte monasterii cujusdam versi ad occidentalem plagam. Interea signa de turri pendentia fragore horrisono concrepuerunt, et hoc videbatur quasi adventantis Judicis prænuntium. Et nullam quidem personam in eodem visu aspeximus, sed repente ab aquilone per patentes fenestras ignis horribilis crepitans, et in partes plurimas seintilians, insiluit, et ante facies nostras disjectus cecidit, nos tamen, id est me et eos qui simul stare videbantur, nequaquam attigit, nisi quod in visu illo immensa erat magnitudo sævi horroris. Sed nunquid argumentis sive conjecturis egemus, ut sciamus vel credamus quod non casu, sed judicio corripientis Domini factum sit istud, præsertim cum dicat Apostolus : *Dam judicamur, autem a Domino corripimur, ut non cum hoc mundo damnemur?* (*I Cor. xi.*) O ergo utinam, vel sic correpti judicio præsenti, judicio modico et tolerabili, sententiam timant atque effugiant futuri universalis judicii hi qui, sacratum Deo locum invadere præsumentes, vota beatorum pontificum supradictorum, quantum in ipsis fuit, persfregerunt, ne dicam irrita fecerunt, quia videlicet irrita fieri **229** non potest devotio sanctorum, qui superædificati super fundamentum apostolorum (*Ephes. ii.*), nequaquam dignum arbitrii sunt superædificare super fundamentum paganorum seu quorumlibet hominum mortuorum.

## CAPUT X.

Mirum, unde mortalium animis tanta cupiditas terrenæ altitudinis, sive munitionis terrenum fundamentum habentis, cum sint brevis vitæ, multoque angustioris quam fuit vita priscorum hominum, quorum primus, Cain, civitatem ædificavit (*Gen. iv.*). Et quid dieam? Fuitne unquam aliquis ex omni numero sanctorum, sive laudabilium virorum, qui civitatem terrenam, sive castellum terreni fundamenti ædificaverit, teste Scriptura, quales laudare proponens vir sapiens, scilicet, Jesus filius Syrach: *Laudemus, ait, viros gloriosos et parentes nostros in generatione sua?* (*Eccli. xliv.*) Quinimo ut claro signaretur testimonio, terrenas munitiones, qualium prius, ut jam dictum est, auctor exstitit Cain, nunquam Deo B suisse complacitas, primo omnium civitatum, quam transito Jordane filii Israel obtinuerunt, qui utique filii erant peregrinorum, scilicet sanctorum patriarcharum, qui manentem civitatem hic habere noluerunt, sed futuram inquisierunt (*Hebr. xiii.*), funditus corruit, nutu vel judicio Dei, nullis impaeta machinis, sed solum sacris personantibus tubis Josue prosequente, in quo erat Spiritus Domini, atque dicente : *Maledictus vir eoram Domino, qui susciterit et ædificaverit Hiericho.* In primogenito suo fundamenta illius jaciat, et in novissimo liberorum ponat portas ejus (*Josue vi.*). Quod et factum est: Nam in diebus Achab regis Israel, ait Scriptura, *ædificavit Achiel de Bethel Hiericho.* In Abiram primitivo suo fundavit eam; et in Segub novissimo posuit portas ejus, juxta verbum quod locutus fuerat Dominus in manu Josue filii Nun (*III Reg. xvi.*). Tale judicium civitas subiit, quæ populo Dei, sive arcæ Domini Jordænem transeunti prima obstitit. Nunquid vero cæteræ civitates Chananæorum melioris erant meriti, ut non et ipsæ similiter ruerent ad ingressum ejusdem populi Dei? Non utique sed tempus nondum erat, et in una civitate terrena quid cætera quoque gentium molimina mererentur, significatum esse sufficiebat.

## CAPUT XI.

Fratres mei, secundum Scripturam dicentem : *Et sola vexatio dabit intellectum auditui* (*Isa. xxviii.*), fere mihi contigit. Vexatio namque, quam vidistis L me perpeti, quam audistis in dolore vocis quasi parturientis toto anno, imo et fere toto biennio priusquam inundaret hoc flagellum incendi, dedit intellectum auditui. Occasio enim mihi fuit, quatenus melius intelligerem id, quod verum est conditores civitatum terrenarum male in Scripturis sanctis, et ante et post diluvium denotari tanquam architectos sive municipes adversæ civitatis, quæ contraria est civitati Dei viventis, Hierusalem cœlestis, videlicet, ante diluvium dicendo : *Et ædificavit Cain civitatem, quam vocavit ex nomine filii sui Enoch* (*Gen. iv.*). Et post diluvium dicendo : *Nemroth cœpit esse potens in terra; fuit autem principium regni ejus Babylon.* *De terra illa egressus est Assur, et ædificavit civitatem Niniven et plateas civitatis* (*Gen. x.*), et ob

ejusmodi potentias hunc mundum dictum esse a Domino atrium fortis armati (*Luc. xi*). Eadem namque potentia, qua ille Nemroth cœpit esse potens in terra, et propter quam dictus est in proverbio : *Robustus venator coram Domino, cœperunt et jussa sunt idola pro Deo coli*, quasi ob decorum, munimenta civitatis, maximeque ab initio pro memoria magnifici eorum nominis, quemadmodum Scriptura libri Sapientiae dieit : *Acerbo, inquit, luctu dolens pater cito sibi rapti filii fecit imaginem, et illum, qui tunc quasi homo mortuus fuerat, nunc tanquam Deum colere cœpit, et constituit inter servos suos sacra et sacrificia* (*Sap. xiv*). Deinde interveniente tempore, convalescente iniqua consuetudine, hic error tanquam lex custoditus est, et tyrannorum imperio colebantur figmenta. Nimirum ea causa fuit, per quam mundus iste talis effectus est ut merito diceretur atrium fortis armati, dum is, qui in mundo nihil jure habere debuit, diabolus, per idolatriam in patrocinium tyrannidis ascitus est ab amatoribus mundi, qui in mundo properabant tyrannizari, qualium primus supra dictus Nemroth exstitit, secundum nomen suum, *tyrannus*. Nemroth quippe *tyrannus*, vel *prosagus*, sive *transgressor* interpretatur. Scendum vero quia cum dicitur, atrium fortis armati, domus quoque ejusdem cum atrio debet subintelligi. Atrium quippe dictum amplissimæ domus primus ingressus, ubi sibi arbitri habitantes propter expellendum frigus focos facere noscebantur, et ab atrio sumi nebulosissimo globo, appellata atria quasi atra tradit antiquitas. Et quæ est domus illius nisi *infernus*? Ergo civitates terreni fundamenti, qualium in maximis vel notissimis tyrannizavit rex Nemroth, et semelipsum direxerit Assur, dum idola prostituerunt, et nebulosissimum glomerant fumum sacrificiorum, recte dicuntur, et sunt atria tetrorema domus nimis ample, scilicet inferni, cum sint atria sive unum atrium fortis armati; scilicet diaboli. Verumtamen in atriis domus Domini (*Psal. cxxxiii*), in quibus stamus vel stare debemus, hæc etymologia pene deficit, quia non est in eis ater sumus, nisi velis rationabiliter attendere, quia pœnitentium luctus lacrymosas quidem est sumus, veram pariturus lucem, sicut contra fumus cœcitatibus et ignorantia, qui est in illo tali atrio jam dicti fortis armati, parit gehennæ ignem inextinguibilem.

### CAPUT XII.

Cum hæc sint, nonne magis ac magis eluevit causa peregrinorum, sanctorum Abraham, Isaac, et Jacob, cœterorumque qui civitates sive castella non ædificaverunt, imo de civitatibus ædificatis egressi in casulis habitaverunt, *confidentes quia peregrini et hospites sunt super terram*? *Exspectabant enim fundamenta habentem civitatem*, ait Apostolus, *cujus artifex et conditor est Deus* (*Hebr. xi*). Civitates, inquam, et castella non ædificaverunt, imo quod contrarium est civitatibus et castellis, hoc ædificaverunt, scilicet altare Domino; quod tertio primus vel notissimus peregrinorum fecisse legitur Abraham.

**A** Primo ubi ingredienti terram Chanaam apparuit illi Deus et dixit : *Semini tuo dabo terram hanc* (*Gen. xii*). Secundo, ubi transgrediens, vel progressus terram tetendit tabernaculum inter Bethel et Hai (*Gen. xiii*). Tertio, ubi filium suum unigenitum jussus offerre in holocaustum, laudabiliter paruit (*Gen. xxii*). Ergo causa peregrinationum in hoc sæculo filiorum Dei ista fuit, et est, et esse debet usque ad consummationem sæculi, quia esse debent adjutores Dei, adjutores in ædificatione Dei, aedificandum fortem armatum de atrio suo, quem vicit Filius Dei. Quomodo ad **230** ejiciendum fortem armatum illum? Nimirum invadendo in primis et destruendo enicas munitiones falsitatis, sive machinamenta fanatici erroris constantissima prædicatione veritatis; et deinde eradendo, quoad possibile est, sive obscurando celos titulos superborum hujus sæculi, de qualibus in psalmo scriptum est : *Tabernacula eorum in progenie et progenie; vocaverunt nomina sua in terris suis* (*Psal. xlvi*), exempli gratia, ut ibi congesta fuerat celsa tumba Romuli, illic aula superemineat Petri apostoli; et ubi discors frater Remus, ab eodem fratre Romulo pene parili tumba premitur, illic consocius Petri. Paulus, crucis Christi signifer in domo sua ad honorem sui Regis, ejusdem Christi, principetur. Ad talium taliterque ædificantium peregrinorum sortem pertinere non dubium est piam beatorum pontificum intentionem Brunonis atque Heriberti, supra memoratorum, qui nescio quem nebulonem illius fortis armati satellitem, quales multos habet, de isto atrio sive particula atrii ejus foras ejecerunt, alter castellum confringendo, alter monasterium hoc ad honorem fortioris qui illum forte in vicem, ædificando. Quid amplius habet homo civis coeli, et peregrinus super terram secundum professionem suam, nisi ut ædificet, quoad potest, super fundamentum Patrum sanctorum, qualium Abraham, Isaac et Jacob, principes, sive notissimi exstiterunt, qui nullam civitatem terrenam ædificaverunt, sed supernam sive cœlestem inquisierunt? Forte dicas quia David cœpit arcem Sion, et *hæc est*, ait Scriptura, *civitas David* (*II Reg. v*). Et de Ezechia scriptum est in laude patrum quia *ipse munivit civitatem suam, et induxit per medium ejus aquam* (*Ecclesiastes xlvi*). Ad hæc responsio facilis patet quia longe aliud est capere vel munire quam fundare vel ædificare civitatem. Unde notandum quia ducibus Moyse et Josue datum vel permissum est civitates muratas capere, et in eis habitare, nusquam autem jussum fuit ædificare, imo unam præ omnibus scilicet Hiericho, sicut superius memoratum est, voluit Deus virtutis suæ miraculo dejicere, ut hoc signo nobis inueniret quia voluntas ejus non fuit, nec est in hujusmodi structuris, quas mortali præsumptio adinvenit, sicut et ante legem alio miraculo demonstravit in turri Babel, ubi linguas eorum confudit (*Gen. xi*). Præterea sciendum quia munitio, qua Ezechias civitatem suam munivit, ut merito in laudibus patrum debeatius eam venerari,

spiritualiter debet intelligi, quia videlicet illa manitio fortissima fuit oratio, et aqua quam duxit per medium civitatis, illa fuit misericordia, quae taliter de cœlo manavit ut una nocte interficeret angelus Domini centum octoginta quinque milia virorum de exercitu Sennacherib (*IV Reg. xix.*). David quoque capiendo arcem Sion, et ejiciendo cæcos et claudos, odientes animam David, locum ibi facere intendebat nomini Domini (*II Reg. v.*), quod et fecit introducendo illuc arcam fœderis Domini, et insistendo ad ædificandam inibi domum orationis quam per filium suum Salomonem Deus perfici voluit. Unde et gratulabundus cecinit : *Et repulit tabernaculum Joseph et tribum Ephraim non elegit, sed elegit tribum Iuda montem Sion quem dilexit (Psal. LXXVII), et cetera de quibus sermo copiosior sese offerret, nisi quia brevitati studendum et fastidium vitandum est.*

## CAPUT XIII.

Qua tandem voce, qualibus verbis exprimere potero magnitudinem vexationis, que, ut supra jam dixi, hunc intellectum dedit et adauxit auditui? Vehementer quippe vexatus sum, et, ut hoc breviter dicam, pene mihi contigit oculum meum dextrum eruere, et projicere a me, pene accidit dextram manum meam et pedem abscondere, et projicere a me. Scandalizabat enim me ita ut pene ab isto recedere loco deliberassem, dum turrim reædificare, domumque firmam exstruere inchoaret tanta loci importunitate, tanta claustrum hujus infelicitate, quantum nulla unquam anima religiosa tolerare aut saltem videre posset patienter, si res ad effectum perducta fuisset. Turris quippe est angularis, id est in angulo stans, qui duos venientes e diverso parietes claustrum conjungit. Mirum! quod ille meus dexter oculus, dum ejusmodi opus iniret, non videbat aut videre nollebat initium fore destructionis id ipsum opus nostræ professioni, quam tamen venerari et promovere solitus fuerat. Etenim quid aliud sperari poterat? Spiritualis namque propositi viris aut feminis silentium solitudinis libertas vel securitas et quædam munitio est, et contra strepitum ejusmodi quasi captivitas est. Hinc est ille titulus psalmi septuagesimi: *Psalmus David filiorum Jonadab, et priorum captivorum.* Est enim hic sensus ejusdem tituli secundum litterale negotium, quia Jonadab sacerdos filii suis a vino abstinere, et in tabernaculis habitare præcepit (*Jer. xxxv.*). Instante autem Babylonica incurssione, propositum exceedere compulsi sunt, et de tabernaculis avulsi civitatem introierunt; unde et priores captivi recte dicti sunt. Hoc namque modum civitatis obsessæ mœnibus includuntur, ipsi prius captivati sunt, quam cæteri homines ejusdem terræ capta civitate in Babyloniam ducerentur, quæ fuit captivitas eorum. Secundum spiritualem intellectum nos quoque captivi efficiuntur, quando ejusmodi munitionibus, quæ juris nostri non sunt, vel qualibus modum vivendi imponere non possumus, tali, ut jam dictum est, importunitate concludimur. Sicut ille Jonadab, quod nomen interpretatur *spontaneus*

**A** Domini, filii suis utique sacerdotibus ipse sacerdos in tabernaculis habitare præcepit ita Dominus Jesus Christus sacerdos æternus spontanea charitate nobis factus, sacerdotes suos civitatibus et castellis nequam delectari vult, et maxime nos, quorum et sacerdotium proposito, et propositum ornatur sacerdotio, id est qui et monachicam vitam proitemur, et sacri altaris ministerio fungimur. Sed quid opus est subtilioribus argumentis? Ipse oculus meus scit, et vos fratres mei, scitis quia sicut pisciculis aqua, sic nostræ professionis hominibus congruit et optabilis est mansio quieta. Si quis vestrum forte tunc aliter sapiebat, is profecto nec dum mentis oculo totum terreni sensus pulverein abstenserat.

## CAPUT XIV.

Pene igitur tunc, ut supra dixi, et luscus, et mancus, et claudus effectus sum propter ejusmodi scandalum, nisi quia pepercit mihi oculus ille, et manus illa continuuit se, et pes in velocitate operis cursu, quo cœperat, desit currere, non tamen absque offensione, non sine invective, non absque sue puritatis turbatione. Nam maluit quidem ratione vinci de opere cessando, quam usquequaque scandalizare me perseverantem operando, sed non simul existimare voluit, quod sie simpliciter scandalizatus essein, tanquam unus de pusillis, de qualibus Dominus dicit: *Videte ne contaminatis unum de pusillis istis. Dico enim 231 vobis quia angeli eorum in cœlis semper vident faciem Patris mei, qui in cœlis est (Matth. xviii).* Quæ ergo vel qualia perinde perpessus fuerim, poteram præsentibus inserere scriptis, nisi quia res macræsive exiles non facile conquisisit decorantur verbis, et ut quidam sapientium sive eloquentium sæcularium, mandare quemquam litteris cogitationes suas, qui eas nec disponere nec illustrare possit, nec delectatione aliqua allicere lectorem, hominis est intemperanter abutentis et otio et litteris. Hoc interim veraciter dicere possum, quia non parvo experimento didici compati illi, cui Spiritus sanctus in psalmo dicit: *In tribulatione invocasti me, et liberari te, exaudi te in abscondito tempestatis, probari te apud aquam contradictionis (Psal. LXXX).* Ipse est Joseph, cuius calamitatis, tam breue quam mirabile, præconium præcedens versiculos taliter edixit: *Linguam quam non noverat, audivit (ibid.).* Secundum historiam recapitulatio est sive parenthesis, id est interpositio. Non enim quando exivit tribus Joseph de terra Aegypti, sed quando intravit ipse adolescens Joseph, et servivit in terra Aegypti, tunc linguam quam non noverat audivit, et manus ejus in cophino servierunt, donec divertit Deus ab oneribus dorsum ejus (ibid.). Sermo ergo vel sensus integer hic est: Cum Joseph, id est tribus Joseph, sive omnis Israel, exiret de terra Aegypti, ubi servierant filii Israel propter peccatum, quia vendiderant Joseph fratres sui, ubi primus ipse serviens linguam, quam non noverat, audivit, propter quod juste retributum est illis, ut servirent etiam ipsi; cum, inquam, exiret Joseph, id est Israel referens ossa Joseph de terra

*Ægypti, testimonium hoc posnit in eo Dens adjutor noster, Deus Jacob : In tribulatione invocasti me et liberavi te, exaudivi te in abscondito tempestatis, etc., usque ad finem psalmi. Quorsum istud? Eo nimurum, ut ex meipso mihi compertum esse fatear, non parvam fuisse calamitatis ejus partem hoc ipsum quod in serviendo, et dorso onera ferendo linguam quam non noverat audivit, diu tribulatus antequam assueisset commercia linguae illorum, quibus famulabatur. Præterea cum habitaret in domo domini sui, qui optime noverat Dominum esse cum eis, et omnia quæ gerebat ab eo dirigi in manus illius, a quo et præpositus gubernabat sibi creditam domum (Gen. xxxix), nunquid facile vel absque labore invidiā virtute superabat? Putasne quod nullus nequam ibi fuerit oculus, qui gravaretur, eo quod inquinilus imo et servus emptitus tanta domini sui gratia præferretur super omnes domesticos ejus, et super omnem rem familiarem ejus? Vere sapiens quidam dicit : *Qui non est tentatus, quid scit?* (Eccli. xxxiv.) Tentationemque similis eum qui tentatur de similibus quamvis longe majoribus instruit, et me, fateor, instruxit, ut melius intelligerem tribulationem, in qua ille Dominum invocavit, sive absconditum tempestatis, in quo illum Dominus exaudivit. Denique et ego, cum per occasionem scandali supradicti solito maiores increvissent mihi fluctus temptationis, tanta in tribulatione fui, tantam in abscondito, id est in mente, tempestatem pertuli, ut pene victus deliberarem deponere pondus curæ hujus monasterii, multum immemor illius virtutis, et indiscretus ad memorandam constantiam illius victoris cuius nunc melius memini, quia quantacunque in tribulatione fuisset, quantameunque in abscondito tempestatem pertulisset, non ipse onera dorso abjecit, sed Deus, ait Scriptura, *dorsum ejus ab oneribus divertit.* Eo usque sustinuit laudabiliter, et exspectavit patienter, donec Deus diverteret. Turbatus erat interior sensus meus, et idcirco vim discretionis pene amiserat, ut tanti exempli, sive horum similium memoria foras excluderetur.*

#### CAPUT XV.

Sed prævenit me pervigili custodia custos Israel qui non dormit neque dormitat (Psal. cxx), et corripuit correptione sensibili quidem, sed non effabili, scilicet nutu quodam, quem dum seuseris, non indiges ab homine doceri quod fortissimus sit, juxta illud dictum Mosi : *Fortissime Deus spirituum universæ carnis* (Num. xvi); et juxta illud Psalmistæ : *Qui respicit terram, facit eam tremere* (Psal. ciii). Quam velociter currit ille nutus ejus! Denique et hoc idem Psalmista loquitur: *Qui emitit eloquium suum terræ, telociter currit sermo ejus* (Psal. cxlvii). Etenim cum aliis modis quamplurimis et inenarrabilibus currat sermo ejus, isto quoque modo velociter currit, dum quempiam nutu sensibili percellit, ita ut inenarrabiliter homo totus interior simul et exterior intre-

A miscat, et concutiat in momento, in ictu oculi. Et hoc nimurum ad illud pertinere putas, quod dilecta in Canticis loquitur : *Dilectus meus misit manum per foramen, et venter meus intremuit ad tactum ejus* (Cant. v). Forte insipientiae potest argui, quod secretum hoc in publicum scribendo produxi, cum de majoribus quodam symmistes Dei dicat : *Secretum meum mihi, secretum meum mihi* (Isa. xxiv), subjungens, *væ mihi!* (ibid.) Quare ergo sic insipiens factus sum, nisi quia necessitas nonnulla me coegit? Solent enim plerique hominum, quorum non est simplex oculus, nostris vel nostri similiū derogare laboribus, et reputare præsumptioni, vel vanæ gloriæ, quod scribimus, sanctarumque mysteria Scripturarum studiose tractamus, et propter hoc aliquem in Ecclesia Christi honorem sortimur cum Apostolus dicat : *Qui bene præsunt presbyteri, duplice honore digni habeantur, maxime qui laborant in verbo et doctrina* (I Tim. v). Ego autem testem hunc habeo in anima mea qui, ut supra memini, emittit eloquium suum terræ et velociter currit sermo ejus, sive qui respicit terram et facit eam tremere, quia scribendi facultatem sive ministerium susepi ab ipso muneris vel gratiæ ejus infusione sensibili (31), et aliquoties eum vellem desistere cedens invidorum nonnullis dicentibus, sufficiunt nobis libri, vel aliquid simile huic, ille me percelluit, et nutu supra memorato, concussit trementem, quasi sub virga magistri.

#### CAPUT XVI.

Quales igitur ex debito gratiarum actiones offeram illi? Nisi enim modo jam dicto me prævenisset, et intelligens cogitationes meas corripuisse tactu ejusmodi, quasi diceret : *Quis tu, ut timeres ab homine mortali?* Forsitan hodie non ille Joseph, cuius dorsum Dominus, ut supra memini, ab oneribus divertit, sed Esau quodammodo similis possem existimari, qui propter quamdam impatientiam contemnens, vel parvipendens primogenita sua : *En morior, inquit, quid mihi proderunt primogenita?* (Gen. xxiv.) Erant autem primogenita illa privilegia quedam, et maximæ sacerdotii dignitas, cuius videlicet sacerdotii indumenta erant illæ vestes Esau valde bonæ, quas *Rebecca*, inquit Scriptura, *apud se domi habebat* (Gen. xxvii), de quibus clara est et nota scientia secundum mysticam intelligentiam. Quia dona Christi divisiones gratiarum Spiritus sancti significant, induita nobis publice et **232** privatum : publice quidem, quia Judæis ablata, et gentili populo data sunt. Unde, et nos omnes gentes in psalmo dicimus, plaudentes manibus, *elegit nobis hereditatem suam speciem Jacob quem dilexit* (Psal. xlvi) privatum vero, quia in qualibet domo Dei saepe quis corporalem sequens exercitationem, præteritur, et is qui exerceat ad pietatem (I Tim. iv) copiosius ornatur, gratia Spiritus sancti, quam Rebecca in illo facto significavit, dividente singulis prout vult (I Cor. xii). Nimurum talium vestium sive ornamentorum non extrema portio est pastoralis cura, et sapientiæ doctrinæ. Hinc Apostolus : *Et ipse*

(31) Idem ait Rupertus, initio lib. vii super Matthæum et lib. xii.

*dedit quidem quosdam apostolos, quosdam autem prophetas, alios vero evangelistas, alios autem pastores, et doctores ad consummationem sanctorum, in opus ministerii, in ædificationem corporis Christi (Ephes. iv). Quisquis ergo nullam habens rationabilem causam se inceptam parvipendens tanquam rem inutilem abjicit pastoralem curam propter cuiuslibet adversitatis seu difficultatis impietatem, hic profecto non longe dissimilis est illi Esau, qui, propter gulæ impatientiam projecit primogenita sua, et: *En morior, inquit, quid mihi proderunt primogenita.* Propterea quicunque sit ille, valde inordinatus est, ut postea, cum stultitiam suam recognoverit, rursum in statum pristinum resurgere, et honorem recipere contendat, nec omnino in hac re est audiendus secundum subsequens exemplum ejusdem Esau, cuius memor Apostolus: *Scitote enim, inquit, quoniam et postea cupiens hæreditare benedictionem, reprobatus est. Non enim invenit pœnitentiae locum, quanquam cum lacrymis inquisisset eum (Hebr. xii).* Verumtamen quavis dicat, non invenit pœnitentiae locum, non est desperandum cuilibet taliū de salute, licet desperare cogatur de honoris recuperatione.*

## CAPUT XVII.

Confortatus itaque redii, velut qui melius jam intelligerem consilium Sapientiæ, dicentis: *Si spiritus potestatem habens ascenderit super te, locum tuum ne dimiseris (Sap. x).* At ille spiritus potestatem habens, nimirum a Domino, qui potestatem dedit, ut tentaret sanctum Job, cuius memini in exordio, quæ videlicet potestas est justa, voluntas autem ejus semper injusta, nunc quid ascendere desiit? Imo pertinaciter ascendit, ita ut parum videretur valere nobis quod cessatum erat ab ædificatione supradictæ munitionis, quia nostrorum quidam amicorum abusi temporis opportunitate (sciebant enim offensionem sublimioris, cui anima nostra secundum Deum subdita esse debuit) licentiam acceperant, nobis ignorantibus, et ædificabant turres alias et domos intrinsecus, nobis quidem contradictibus, sed obsistere non valentibus. Totum tempus illud, totum annum illum ego memorans, quid de meipso censem? Qualem me tempestas illa invenit? Qualem meipsum mibi ostendit? Nimirum nisi suggereret Paracletus inter cetera illud quoque, quod Salvator dicit nobis: *Si oculus tuus simplex fuerit, totum corpus tuum lucidum erit, et sicut lucerna fulgoris illuminabit te (Luc. xi),* hodie plus nimio timerem, quia in verbis forsitan modum excessi, et minime moderatus sum vehementiam doloris acerrimi. Summam scire vultis? Ego tantillus, tam magni ducis Josue partim exemplo uti non dubitavi, qui loquens in spiritu Dei dura imprecatus est illi qui reædificaret muros Hiericho, cuius supra memini (Jos. vi). Sed unde scire possim hoc pertinuisse ad exemplum illius, cuius tota imprecatio, quam justa, tam et mystica fuit? Idcirco cum exacerbatus dicerem: *Fiat illis secundum imprecationem Josue,* qui taliter ædificando pene obsident nos, et non sinunt quietos

**A** vivere. Lingua quidem satisfecit iræ non injustæ, sed mens non omniō privata est dilectione, quin intus adhuc viveret saltem uli solet inter obrutos cineres scintilla igniculi tenuiter ardoris sui vim aliquantulam retinere. Fuerit ergo ira illa mihi quasi festuca in oculo (Luc. vi). Nunquid vero raro contigit aut nobistantum, vel similibus nostri accedit perpeti irruentem in oculum festucam ejusmodi, quam quispiam etiam malevolus reprehendere possit, trabem non considerans, quæ in oculo ipsius est (*ibid.*), propter hoc ipsum, quia malevolus vel invitus est? Imo vero persæpe contingit ut gravius offendantur hi qui suaviorem habent dilectionem Dei, et per exacerbationem longe diversi siant vel apparet a semelipsis, propter quod et inspector tener-

**B** rimi cordis eorum Dominus dicit eis: *Qui tangit vos, tangit pupillam oculi mei (Zach. ii).* Exempli gratia: Nonne Moses, sicut dicit Scriptura, *mitissimus erat omnium hominum, qui morabantur in terra?* (*Num. xii.*) Attamen exacerbari potuit, et oculus ejus turbatus est a furore propter duritiam cervicis subditi sibi populi, quod optime sentiens Psalmista dicit: *Et vexatus est Moyses propter eos, quia exacerbaverunt spiritum ejus, et distinxit in labiis suis (Psal. cv).* Quomodo inquis? *Distinxit in labiis suis?* (*ibid.*) Videlicet loquendo alio modo quam solitos esset. Dixit enim: *Audite, rebelles et increduli. Num poterimus robis aquam de hac petra ejicere?* (*Num. xx.*) Non ergo nos infimi dum interdum turbamur, et nimio zelo accensi modum in verbis excedere videntur, non statim judicandi sumus propter festucam, velut illi, qui in oculo magnam gerunt trabem odii, quia forsitan non totum quod imprecatur evenire optamus, hoc solum intendentes, ut qualemque per occasionem libereamur ab importunis hominibus salva illorum vita vel anima, quamvis aliter imprecari videamur.

## CAPUT XVIII.

**C** Quid multa? Tandem post diutinam vexationem illud consilium animo incendit, quod unus amicorum beati Job dixit: recte quidem si personam prudenter considerasset cui dixit: *Voca ergo, inquit, si est qui respondeat, et ad aliquem sanctorum convertere (Job v).* Mortua est enim uxor illius, cuius opus vel ædificium maxime nos contristabat, et per hanc, ut reor, occasionem mitius cœpit agere, quatenus tecum ejusmodi placitum iniret, ut domum quam ædificare cœperat subter turrim quam ut suam reædificaverat, nobis cederet, partim pro anima sua, partim accepta pecunia. Nam domus illa distribuendæ eleemosynæ videbatur accommodata, utpote secus introitum portæ castelli sita: Cogitavi ergo tandem vexatus, ut ad aliquem sanctorum me converterem, videlicet construendo in honore illius oratorium super portam eamdem, ita ut contiguam haberet prædictam domum hospitalem. Converti autem me ad beatum Laurentium, nimirum aliquem sanctorum, et ad hanc partem speciali gratia satis idoneum secundum finem suum. Finis enim ejus hic fuit, quod sanctorum pauperum

pedes lavit, et linteaminibus extersit, et de thesauris vel facultatibus Ecclesiae, quas dispensandas suscepserat, fideliter eis ministravit, mox gloriosum peracturus martyrii triumphum, unde et memoria ejus in benedictione est, cum istis venerabilibus antiquioris Scripturæ verbis : *Dispersit 233 dedit pauperibus, justitia ejus manet in saccum sœculi (Psal. cx).* Hunc ergo congruum ac fideliem ratus fore tutorem, jeci quantotius futuri oratorii fundamentum, et prout tempus permisit (instabat autem asperitas hiemis), structura forniciis erecta usque ad æqualitatem portæ surrexit, quam, ut a nivibus, pluviisque hibernis protegetur, protinus levi materia et stipula oportuit cooperiri. Ejusmodi tectoræ eventus, fratres mei, qualis exstitit ? Cum enim supra dictum foris extra muros grassari cœpisset incendium, et hi, qui turres, ut supra jam dictum est, in unum jus transtulerant, ad easdem certatim convolarent, mobilem ferentem supellectilem ad altitudinem atque munitionem, ut sperabant, igni inaccessiblem sive impenetrabilem, repente advolantes scintillæ, et super stramen, quo tegebatur opus jam dictum, demissæ, in ingente flammam eruperunt, quæ videlicet flamma multo efficacior, quam bellica quælibet machina turrim, quæ proxima stabat, per sublimes fenestras tenuesque rimas ingressa, et deinde in aliam tertiamque perniciter prosiliens, totum denique castellum, et quidquid in turribus lignum erat sibi in pabulum concessum, corripiens, horribile cunctis fecit spectaculum, ita ut totum hoc non solum circumdaret, verum etiam cooperiret monasterium.

#### CAPUT XIX.

Ad te igitur facta conversio nostra firmetur, o beate Laurenti, et tu sis, qui respondeas vocantibus nobis juxta præsagium memorandi aromatis, quo mihi osculum dare visus est in conspectu Domini Jesu Christi, Regis æterni, quasi jam venientis cum nubibus, ut videret eum omnis oculus, et cum eo sanctorum millia quos inter tu igneus, et quasi serenus ignis vultu pariter et vestitu rutilans appareras. Qui cum venerit, nonne examinabitur mundus secundum similitudinem hujus incendii, quod enarravi, maxime quia de medio tantæ conflagrationis, de exæstuatione tam ingentis camini salvum et iæcolume Dominicum corpus emicuit ? Aut nonquid huic rei, quæ nobis accidit tam magnum, quod futurum est judicium inepte assimilari dicimus ? Minoribus utique rebus, auctore Domino, idem judicium sive regnum cœlorum assimilatur. Denique assimilatur triticeæ messioni (*Marc. iv*), assimilatur sagenæ sive retiaculo piscatoris (*Matth. xii*), assimilatur modico fermento in tribus farinæ satis (*Luc. xiii*), assimilatur etiam grano sinapis (*ibid.*). Quo istorum sive his similiū minus exstitit hujuscemodi judicium incendii, ut non debeamus per ejus similitudinem existimare nos esse commonitos de ira ventura, id est igne universalis judicii, præsertim ubi tam multipliciter operata est præsentia seu providentia judi-

**A**cis ejusdein, qui tunc omnia simul judicabit. Etenim sicut illud magnum et extremum quatuor partibus agitabitur judicium; pars quippe una erit eorum qui judicabuntur et per judicium salvabuntur; et alia pars eorum qui judicabuntur et per judicium condemnabuntur (*Matth. xxv*) : itemque pars una illorum qui non judicabuntur, sed cum Domino judicabunt (*Matth. xix*); et alia illorum qui non judicabuntur, sed sine lege peribunt, quia legem non acceperunt et sine lege peccaverunt (*Rom. ii*), ideoque jam judicati sunt, ita fere accidit et nunc. Mulier una hujus incendii flammis circumvallata et effugere non valens, miserabiliter concremata est. Nostræ autem res partim concrematæ sunt, et non ipsi nos, corpus autem et corporale Dominicum nihil ab incendio pertulit, **B**turres autem, super quibus nobis erat molestia, quamvis nihil sentientes, horribili spectaculo combustæ sunt. In nobis metipsis ergo, quorum res aliquæ perierunt, locus autem salvatus est nobiscum, similitudinem illorum non inutiliter advertimus, qui tunc judicabuntur, et per judicium salvabuntur, juxta illud Apostoli : *Si cuius opus arserit, detrimentum patietur, ipse autem salvus erit, sic tamen quasi per ignem (I Cor. iii)*. Eheu ! quam timui ne illud opus meum arderet, quod mihi in hac vita major consolatio est, scilicet opus librorum, quos elaboravi maximeque illorum, quorum adhuc extra locum istum exemplaria nusquam erant. Unum illorum erat opusculum quod nuperrime conscripsoram de glorificatione Trinitatis et processione Spiritus sancti novem tomis, sive libellis et pro hoc fere ita sollicitus eram, sicut negotiator cæteris omnibus amissis, et de omnibus desperans, salutem unam quam forte nuper emerat reservare cuperet, margaritam. Porro in concrematione mulieris (quoniam de illa desperandum non sit) nonnulla similitudo est eorum qui judicabuntur et per judicium condemnabuntur, id est damnationem, quam ista in corpore perpessa est, ipsi in corpore pariter et in anima perpetuentur. In corpore atque corporali Dominico, quod nihil ab incendio pertulit, nonne aliqua similitudo est eorum qui non judicabuntur, sed cum Domino judicabunt ? In turribus vero quæ nihil sentientes, combustæ sunt nonne aliqua similitudo est superborum, qui legem non habentes, ut supra dictum est, sine lege propter turritam superbiam suam peribunt ? Potius enim hominum turribus, quam ipsi qualibuscumque Christianis hominibus similitudinem ascribimus damnationis illorum, qui sine lege peribunt, quia sine lege peccaverunt, et idcirco sine lege peribunt, præsertim quia talium opera suis traduntur hominum, qui sine lege peccaverunt, gentiles enim fuerunt.

#### CAPUT XX.

In quo tandem firmatam esse cupimus conversionem, qua convertimur ad te, o martyr beatissime ? Non enim leviter accipimus, aut parvipendere debemus sententiam supra scriptam quamvis deprompta fuerit absque discretione : *Voca ergo, si est,*

qui tibi respondeat, et ad aliquem sanctorum convertere. Deus ipse advocatus beati Job, in quem de prompta fuerat miro modo, et sententiam approbavit, et secundum ipsam sententiam beatum Job tanquam aliquem sanctorum honoravit, ut ad eum fieret conversio illius qui primus taliter in eum fuerat locutus, male sentiens de viro sancto, quod nisi esset impius, nequam contingere possit, ut tanto flagello percuteretur. Ille namque, videlicet Eliphaz Themanites sic primus incipiens : *Recordare, obsecro te, quis inquam innocens perii? aut quando recti deleti sunt (Job. iv)*, subauditur, ut tu peristi et deletus es, et cætera prosequens tanquam in peccatorem, inter quæ dixit sententiam hanc : *Voca ergo, si est qui tibi respondeat, et ad aliquem sanctorum convertere, nonne maxime corruptus, et ad sanctum Job converti jussus est?* Sic enim in calcis voluminis Scriptura narrat : *Postquam autem locutus est Dominus verba haec ad Job, dixit ad Eliphaz Themaniten : Iratus est furor meus in te, et in duos amicos tuos, quoniam non estis locuti coram me rectum, sicut servus meus Job. Sumite igitur vobis septem tauros, et septem arietes, et ite ad servum meum Job, et offerte 234 holocaustum pro vobis, servus autem meus Job orabit pro vobis, faciem ejus suscipiam, ut non vobis imputetur stultitia, nec enim locuti estis ad me recta sicut servus meus Job. Abierunt ergo Eliphaz Themanites, et Baldad Suites, et Sapharna Amathites, et secerunt sicut locutus fuerat ad eos Dominus, et suscepit Dominus faciem Job. Dominus quoque conversus est ad paenitentiam Job, cum oraret ille pro amicis suis (Job. xlvi). Hoc auditum mente pertractamus, ita ut dispositionem Dei non satis posse mirari fateamur, quia qui dixit tanto viro, ad aliquem sanctorum convertere, ei dixit Deus : Tu ipse ad justum, cui loqueris, sanctum convertere. Nonne vero, tu beate martyr, quidam Job fuisisti tempore tuo ? Et quidem una sanctæ Ecclesie catholica totum corpus cum suo capite Christo unus est Job, secundum similitudinem vel typum quem pertulit ille homo beatus Job, et sicut de illo male senserunt amici ejus, cum esset graviter flagellatus quasi pro suis sceleribus, ita de sancta Ecclesia male judicaverunt haereticis ; quoties tentator Satan permissam potestatem habens, ei corda principum impiorum obtinens percussit eam a planta pedis usque ad reticem (Job. ii), magnos et parvos atrociter persecutus. Verumtamen sicut in uno corpore omnia membra non eundem actum habent (Rom. xiii), ita in ejusmodi percussione omnia membra corporis Ecclesiæ nec æqualia gesserunt, nec æqualem dolorem perpessa sunt. Tu es unum hujuscce corporis membrum, cui patienti recte omnia membra compatiuntur (I Cor. xiii), audientia clamorem tuum clamorem tue passionis, o verissime Job, id est dolens quem et tu maxime sciens spirituali scientia et sensu mystico dixisti fidelissimo comiti tuis doloribus oppido cum fletu et moestitia condolenti : *Magis tace, et in interiore homine absconde**

**A** Christum, et postmodum cum clamavero, audi et veni. Dixerat enim ille plorans et moestus propter te cum clamasset alius, videlicet Romanus miles : *Christianus sum, et propter hoc occubueris, quare non et ego vociferor quia Christianus sum, et tecum incumbo. O quam venerabiliter accipiunt crudite aures quod dictum illud ita ex ore ejus assumpsisti, ut dices tu sensu subtiliori, cum clamavero, audi et veni. Hoc enim vere dixisti sensu illo, quo et universæ Ecclesie cum beato Job propter martyres suos dicere congruit : Terra, terra, ne operius sanguinem meum, neque inveniat lutendi clamor meus (Job. xvi), et cætera quæ sequuntur.*

## CAPUT XXI.

Tu autem, beate martyr, sicut dicere coeparam, **B** quidam Job tuo tempore exististi, et nunc et usque in finem saeculi clamorem tuum, clamorem magnum tue passionis Christus audit et Ecclesia Christi, neque enim terram illum operire potuit, nec ullum in ea latendi locum invenit. Et quæ vel qualis est illa terra ? Nimirum ipsa de qua clamat ad Deum sanguis protomartyris Abel (Gen. iv), inno sanguis Christi, cuius typum præferebat ille justus Abel. Haec terra universalis Ecclesia est. Ipsa clamorem tuum prima audivit, et primum eonclamavit, nosque secum conclamare docuit verbis hujuscemodi, quæ primum verba fuerunt saepe dicti Job, nihilominus autem verba sanctæ Ecclesie sunt in pressuris suis, et tibi aptissime congruent : *Oratio mea munda est, et ideo peto, ut detur locus voci meæ in caelo, quia ibi est iudex meus et conscius meus in excelso (Job xi).* Et rursum : *Probavit me quasi aurum quod per ignem transit. Vestigia ejus secutus est pes meus, viam ejus custodivi, et non declinavi ex ea. A mandatis leborum ejus non recessi, et in sinu meo abscondi verba oris ejus (Job xxiii).* Ob hujuscemodi clamorem conversi ad te, et audientes simul claritatem propriæ vocis tue verba oris tui de illo nobilissimo et valde spectabili tuo agnæ, in quo confitebaris, et collaudabas Deum salvatorem nostrum in medio ignis, in pressura flammæ, quæ circumdabat te, et perpendiculariter verba illius tue confessionis digna vere quasi in statera ponderari. Quid videamus in cœlo anima beatissima, nisi Sunamitem illam, quam dilectus amat clamans et dicens : *Revertere, revertere, Sunamitis, revertere, revertere ut intueamur te? (Cant. vi.)* Quænam est Sunamitis haec nisi fides ? Ista est quæ exspectabatur ut reverteretur, quia pene disparuerat in hominibus, etenim sere omnes non in fide Abrahæ sed in carne gloriabantur. Sicut aliquando Sara libera, quia sterilis erat, despiciebatur, et Agar ancilla, quia secunda erat, eligebatur (Gen. xvi), sic fides per quam justificatus est Abraham, negligebatur, et in lege secundum carnem sere omnes gloriabantur, et ingenua fides quasi contemptibilis erat secundum nomen Sunamitis, quod interpretatur captiva sive despecta. Sed reversa est, et super terram apparuit haec libera, haec nobilis, haec filia principis, scilicet Dei, quando credula Virgo, Verbum suscipiens, con-

cepit et Filium peperit, principem libertatis, primo- genitum filiorum fidei, qui extunc per orbem terrarum multiplicati sunt, et multiplicantur usque in finem saeculi. Haec in te loquebatur, et hanc in te Christus intuebatur. Tyrannus autem eam non videbat, manibus suis eam capere non poterat. *Cum ambulares in igne, ipsa non comburebatur (Isa. XLIII)*; unde verissime scriptum est : *Et flamma non ardebit in te (ibid.)*, quia ardebat flamma quidem extrinsecus, sed nullam opera batur laesionem intrinsecus. Qualiter ergo Sunamitem hanc in te videimus? Vere sicut mulicrem fortem, in qua confidit cor viri sui (*Prov. XXXI*), et quae, inter cetera fortitudinis opera, Chananaeo quoque cingulum tradidit (*ibid.*), id est te abjectum in oculis tuis, et humilem spiritu magnifice confortavit. Alioquin, o beatissime, cur flebas discedente Sixto cum aliis diaconibus suis, nisi quia te ipsum quasi quemdam Chananaeum, id est vilem peccatorem indignum reputebas eadem, vel simili gloria martyrii? Nisi enim indignum reputares, poteras non exspectata benedictione hominis, quamvis sancti, quamvis episcopi et magistri vociferari quod Christianus esses. Bene ergo cingulum tibi tradidit, et cingendo te propter hoc ipsum quod eras humilis in oculis tuis demonstravit, et notum fecit quod essem magnus in oculis Domini, id est, non Chananaeus, sed filius regni. Quid contra regibus, sive filiis regni, scilicet his qui magni sunt in oculis suis? Non utique cingulum eis tradidit, immo quem videbantur habere balteum, abstulit, juxta sermonem sapienti sancti Job : *Balteum, inquit, regum dissolvit, et praecingit sene renes eorum (Job XII)*.

#### CAPUT XXII.

Ecce haec ex abundantia cordis locutum est os meum, ad te conversum (*Matth. XII*), quia nimirum abundans est id corde sollicitudo gradientis interspem et metum. Proficiscor enim in viam universæ carnis, sciens quia omnes nos manifestari oportet ante tribunal Christi (*II Cor. V*). Et ut hoc ipsum verbis eloquar ejusdem B. Job : *Ecce breves anni transeunt, et semitam per quam 235 non revertar, ambulo (Job. XIV)*. O quam formidabilis prosector! Non licet immo non vacat homini Christiano ignorare vel dissimulare formidinem hanc; quippe cum non solummodo vigilantem meditatio, verum etiam dormientem occupet pergil tremor, ut anima ejus assidue renuat consolari, et memor sit Dei (*Psalm. LXXVI*), et priusquam faciem ejus videat, nunquam securus esse possit. Fateor quia non nisi expertus haec dicerem, nec nisi ab experimentis docte clare intelligerem, illud quoque, quod supra dictus vir sanctus loquitur : *Si dixero : Consolabitur me lectulus meus, et relevabor loquens tecum in stratu meo, terrebis me per somnia, et per visiones horrore me percuties (Job. VII)*. Quid erubesco consteri quod nonnunquam acciderit terror sive horror ejusmodi? Vidi per noctem me proficisci ad tribunal Christi, a cuius facie sedentis super thronum tam horribiliter fugere videbantur plerique miseri, ut jam post visum illum opus non habeam ab homine, vel per hominem doceri quid vel quale sit illud : *Exsurgat Deus, et*

A dissipentur inimici ejus, et fugient qui oderunt eum a facie ejus (*Psal. LXVII*). Ambulabam, quantum possum reminisci, magno cum timore, et in spiritu humilitatis, multum quidem timens, sed et multam spem habens, timens ne, cum ad id perventum esset, ut ante ipsum tribunal stare, et faciem ejus videre deberem, territus refugerem, et spem habens, quod placatam eamdem ejus faciem invenirem, quam fuga inenarrabili plerique, ut jam dixi, fugere conabantur, cum effugere non possent. Sequebantur post tergum spiritus telerrimi multitudine innumerabili cum hac exspectatione, ut me retro conversum et fugientem a facie sedentis super thronum statim comprehendenderent, et in damnationem suæ partis auferrent, nam prius me contingere nullatenus auerterent. Post tergum, ut jam dixi, sequebantur, atque a dextris et a sinistris pariter gradiebantur, ita tamen ut nulla me turba comprimerent, sed erat undique mihi solitario spatirosus incessus, et ante faciem meam nullis præcurrentibus aut præcedentibus liber prospectus. Cum hujusmodi processu visus mihi sum ingredi templum Domini, in quo erat similitudo throni et sedentis in eo Christi judicis et Salvatoris nostri, et circa eum sedentes quasi senatores judicii et principes regni Dei. Qua voce, qualibus verbis eloqui possem horrorem multorum fugientium, non tamen effugientium a facie ejus, ut jam dixi : *Introgressus autem ante faciem ejus, protinus inter multos super faciem terræ, id est super pavimentum valde pavidus, et quasi in domum regum receptus consedi, et respiciens eorum, qui me prosecuti fuerant, neminem vidi, nisi quod coluber unus, toto corpore per terram repens, et solum caput erigens linguamque pertendens, nescio quas occasiones contra me moliri videbatur. His perspectis, protinus a somno evigilavi.*

#### CAPUT XXIII.

Qualiacunque haec sint, o ter quaterque B. martyr, quis nesciat quia nos omnes oportet astare ante tribunal Christi? (*I Cor. V*) Ibi profecto qui Christum diligit, fiduciam habebit. Hinc Joannes in Epistola sua dicit : *In hoc perfecta est charitas nobiscum, ut fiduciam habeamus in die judicii (I Joan. IV)*. Item : *Et nunc, filioli, manete in ea, ut cum apparuerit, habeamus fiduciam, et non confundamur ab eo in adventu ejus (I Joan. II)*. Pro hoc ut fiduciæ habendæ tu adjutor sis, convertor ad te cum sacrificio bonæ voluntatis, quæ si prompta est, ait Apostolus, secundum id quod habet, accepta est, non secundum id quod non habet (*II Cor. VIII*). Et quidem si vita coines fuerit, spero quod habebit voluntas haec effectum, ut impletat votum, quod incœpit supra memorati operis, ut tu quies in regno cœlesti cancellarius dignus Regis Christi, et sanctæ ejus genitricis Reginæ præpotentis, sis etiam specialis patronus et tutor hujus loci Deo dicati et eidem perpetuæ Virgini, nec vacet alicui potentiae sæculari præesse arcibus istis jamdudum semirutis, et nunc semiustis, quia non expedit omnino monasticæ professioni cohabitationem pati, sive tam

imminens confinium alienæ conversationis. Verum tamen quomodocunque proveniat finis sive consummatio manufacti hujus, quod a me factum est, fundamenti, spero quia voluntas, quæ, ut jam dixi, prompta est, accepta erit, et sicut in holocausto septem laurorum, et septem arietum accepti fuerunt amici beati Job, dicente Domino : *Job autem servus meus orabit pro vobis, faciem ejus suscipiam, ut non vobis imputetur stultitia, nec enim locuti estis ad me*

**A** recta sicut serrus meus Job (Job. xlii), ita in bona voluntate (duinmodo mactemus quod maximam expediti duritiam quasi taurinæ cervicis et præsumptionem quasi arietini capitis, id est præsumpti magisterii sive ducatus in grege Christiani populi) suscipiemur per te, et convertetur ad te Dominus, o beate vir, suscipietque faciem tuam orantis pro amicis tuis. Eheu ! quam dubii stadium nos currimus : at tu, Laurenti, laurum geris igne probatus ut aurum.

# R. D. D. RUPERTI

ABBATIS TUTIENSIS

## DE MEDITATIONE MORTIS.

### LIBER PRIMUS.

#### 236 CAPUT PRIMUM.

Quid nunc magis, o anima ? Saltem abhinc eruditior esto, et quod reliquum est temporis, vive secundum vitam sapientis, quæ est meditatio mortis. Nunc enim maxime tibi *tempus est flendi, et tempus plangendi* (Eccl. iii), postquam velociter transierunt menses vacui, quos habuisti, et noctes laboriosæ, quas enumerasti tibi, ita ut veraciter quodam respectu conscientiæ tuae dicere possis : *Quia timor quem timebam, evenit mihi, et quod verebar accidit* (Job. iii). Apostolus, cum de pressuris sive tribulationibus suis loqueretur : *Ipsi, inquit, in nobismetipsis responsum mortis habuimus, ut non simus fidentes in nobis* (II Cor. i). Nullatenus parva nostra comparare possumus aut volumus magnis illius tanti Apostoli : verumtamen est interdum parvorum atque magnorum aliqua similitudo, quamvis dissimilis, adeo ut exigua formica dum frumenta congregat in messe recte dicatur similis viro magno, viro sapienti, qui bonis actibus sibi providet in vitam futuri saeculi. Ita nimur pro quadam similitudine nobis parvis licet uti presentibus verbis magni Apostoli ; quia plerique parvorum experti sunt, ut cum illo dicere possint : *Sed ipsi in nobismetipsis responsum mortis habuimus, ut non simus fidentes in nobis.* Age ergo et tu, o anima exigua, exerce teipsam ad vitam sapientis, quæ est, ut jam dixi, meditatio mortis, memor quoties tu quoque responsum mortis acceperis, quod delectari non debeas mora sive longiturnitate, si qua est, vitae præsentis.

#### CAPUT II.

Nunquid vero dum invitaris, homo, ac meditacionem mortis id solum dicitur tibi, ut moriturum te esse memineris ? et quidem utile est saltem istud vel solum meditari pro cura vel sollicitudine ac metu reddendæ rationis in hora exitus tui, propter quod Sapientia dicit : *In omnibus operibus tuis memorare*

**B** norissima tua, et in æternum non peccabis (Eccli. vii). Verumtamen non in hoc solo tota expenditur meditatio mortis, aut perficitur vita sapientis, sicut non plenus aut perfectus est timor Domini, quem Scriptura sanctum dicit et permanentem in sæculum sæculi (Psal. xviii), ubi propter solum gehennæ metum quispiam peccatum refugit. In quo ergo plenior est meditatio mortis perficiens vitam sapientis ? Nimur in eo ut fideliter credas, firmiterque scias quia valde utiliter homini, quoniam mortuus erat in anima per peccatum, mortem corporis Deus inuit, et eum in æternum vivere vetuit. Et quia de morte provenit thesaurus vitae et salutis per Jesum Christum, qui particeps fieri dignatus est nostræ mortalitatis. De quo videlicet thesauro recte illud a Domino dictum

**C** intelligitur ad B. Job : *Nunquid ingressus es thesauros nivis, aut thesauros grandinis aspexisti, quæ præparavi in tempus hostis, in diem pugnæ et belli?* (Job. xxxviii.) Denique præter moralem sensum nivis et grandinis nominibus omnes afflictiones, quas Deus humano generi juste superduxit, recte intelliguntur, et ipsa mors, quæ omnium afflictionum summa est. Quis rogo, nisi solus Deus, vel solus Dei Filius, ejusmodi nivem sic ingressus est, et ejusmodi grandinem sic aspexit ut thesauros inde produceret, id est sic omnes afflictiones et ipsam mortem inter homines impios, et frigore persidiæ constructos sustinuit, ut per hoc ipsum, quod mortem perpassus est, jucunditatem et exultationem vitae æternæ super nos thesaurizaret ? Et quidem nivem hanc et gran-

**D** dinem istam præparavi, inquit, in tempus hostis, in diem pugnæ et belli, id est propter hostilitatem serpentis antiqui, et propter repugnantiam sive rebellionem hominis consentientis illi, afflictionem et mortem induxit dicendo : *Maledicta terra in opere tuo, et cætera usque quia pulvis es, et in pulverem revertaris, sive usque ne comedat de ligno vitae et virat in æternum* (Gen. iii).